

Johann Simonius Johann Rhulenius

In Calumniatores Oratio

Rostochi[i]: Pedanus, 1612

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729131955>

Druck Freier  Zugang



J. Rhulenius.
R. U. phil. 1612.

40.

IN CALUMNIA-
TORES
ORATIO,

JOHANNIS RHVLENI

Wismariensis Megalopyrgici,

Habita ab ipso.

In Collegio Oratorio

CLARISSIMI ET HUMANISS. VIRI,
D. N. M. IOHANNIS SIMONII
Rhetorices in incluta Illustrissimorum Principum
Megapolensium Academia Professoris Publici.

Nonis Decembris Anno

sis ò Chrifte DeVs MeVs.




R O S T O C H I

Typis exscripsit Joachimus Pedanus,

Anno cl^o l^o CXII.

1612



NOBILISSIMO, DOCTISSIMO,
 Spectatissimo, Consultissimo, Prudentiâ & au-
 thoritate Præstantissimo, & multo rerum usu, expe-
 rientiâq; præclarissimo viro,

DN. IOHANNI Regendancæ

Illustrissimi Megapolensium Principis à Consilijs,
 Hæreditario & Possessori in
 Eggersdorff.

NEC NON

*Virtute, eruditione, & singulari vitæ inte-
 gritate ornatissimo viro,*

DN. ARNOLDO Krövenagel


Civi Rostochiensium Primario.

Dominis Meccenatibus, Fautoribus & studio-
 rum suorum Promotoribus summâ observa-
 tia prosequendis.

Hanc Oratiunculam

Offert, dicat, consecrat,

Iohannes Rhulenius.
 Phil. Studiosus.



IN
CALUMNIATORES.



Excitamus de magnis & gravibus rebus orationes, inq̄dicendi studium incumbimus, Auditores, non ostentandi, sed discendi causa; non ut videri velimus, sed ut & alios & nosmetipsos ad arduum virtutis studium excitemus & ad contrarij fugam cohortemur. Quemadmodum enim equus acer ad cursum, simili modo homo bene informatus cohortationibus vel ad virtutem incenditur, vel à vitijs deterretur. Sed sunt quidam perverse mentis homines in falsa ea opinione, qui non convenire autumant, ut in cœtu adolescentum res graves ab adolescentibus tractentur. Sed cum simus Studiosi & amatores rerum tum divinarum tum humanarum; mittamus fatuos & stultos ipsos censors, qui de ijs nos differere posse in hisce collegijs negant, quibus discendis apprime vacamus. Dicam ergo & ego hoc tempore pro ingenio-

ingenioli mei viribus: Et dicam in Calumniato-
res: Et quam nullo modo hoc pessimum genus fe-
rendum, sed radicitus ex hominum societate ex-
stirpandum sit, brevibus ostendam. Quod dum
facio, quaeso vos, Auditores, pro incredibili hu-
manitate vestra, ut me, de hac gravi materia
perorantem, benignè audiatis.

Principiò, ut Calumniatores eò feriamus gra-
vius, eosq̄, quemadmodum digni sunt, tracte-
mus: oculis nostris, agite Auditores, aspiciamus
rem illam, Calumniam dico, à qua sunt Calu-
miatores. Est enim Calumnia mendax, fraudu-
lenta, malitiosa Et injusta dictorum Et factorum
depravatio, cum fortunarum, vel honoris, vel
vita ejus, quem petit, periculo conjuncta. Au-
di Calumniator, qua sit mater tua? qua cum
sit tantis scilicet dotibus ornata: certè Et te, qui
studes calumnia, mendacem quoq̄ Et fraudulen-
tum, Et malitiosum Et injustum esse oportet; qui
omni contentione id conrrix ac labores, ut ei, què
petis, vel honoris vel fortunarum vel vita peri-
culum concites atq̄ crees: id quod nullo modo fe-
rendum esse judico. Quis enim, quaeso, bonus in-
ter mortales mendacium, quod, ut Cicero habet,
in vi-

in virum bonum non cadit, quis fraudem, quis
malitiam & injustitiam unquam a quo animo
tulit? Nam quod Calumniatoris proprium sit
mentiri; id inde patet, quod constat, Calumnia-
torem hoc tantum agere, ut narrata ab alijs pro
veris, dicta pro lectis, audita pro visis, fluxa &
vana pro constantibus, infecta pro factis per-
suadeat hominibus. Flagitiosum est autem hoc
& impium & impudens. Quis enim est homo
mendax? qui sunt ejus mores? qua sunt ejus vir-
tutes? verbo rem, Auditores, explicabo. Men-
dacis haec est natura, ut iram Dei non reverea-
tur: ut propria conscientiae stimulos non expa-
vescat: ut natura ordinem invertat. Rem
prodigiosam, inquis, mihi narras? imò, inquam,
ipsum prodigium tibi narro. Etenim mendacem
appello eum, qui vera falsis, lucem tenebris,
diem nocte, caelum orco, Angelum Diabolo per-
mutat. An verò hoc ipsum non est flagitio-
sum? an non sceleratum? an hoc non impium
& impudens est? Nec verò solum mendax
est Calumniator: sed etiam fraudulentus. Ita
enim mentitur, non ut in ἀνθρώπων deprehenda-
tur: sed ut objecto fumo homines circumve-
niat.

niat & fallat. Asinus, ut perterrefaceret ho-
mines & bruta, leonis exuvias, quemadmodum
est in fabulis, induit. At Calumniator vulpi-
nâ pelle se ostendit, & veneno litis sermonibus
homines incautos decipit. ~~Ut Scorpium venenum~~
~~in cauda abditum gerit & obliquè ferit:~~ ita Ca-
lumniator ~~disimulanter & mentitur & ferit,~~
summoq; cum animi livore modò in hunc modò
in illum acerbitalis sua virus evomere non desi-
stit. Ac ut poma in littore maris mortui ex-
ternâ suâ pulchritudine oculos aspicientium mi-
rificè pascunt & ignorantes fallunt: simili mo-
do Calumniator in speciem vera narrans men-
dacia sua ita palliare novit, ut auditorem pro-
babili ratione callidè fallat. Ad quam rem sin-
gulari utitur artificio Calumniator. Etenim
tum, cum maximè fallit, maximè bonum se si-
mulat: praemittit alta suspiria, jurat se tibi be-
ne cupere, sibi nil charius esse hominum salute
per Deorum fidem confirmat: demittit superci-
lia, vultum mæstum pra se fert, ~~gravi voce~~
~~utitur, interdum etiam querula & plangente:~~
~~atq; sic videas ex ore Calumniatoris egredi cum~~
~~hoc habitu Calumniam pulcerrimam illam be-~~
stiam

stiam. Hujus iudicio, si quis eloquentissimus sit, infans habetur: si maximâ sit eruditione prae-
ditus, imperitus & arrogans appellatur: si con-
stantissimus & fortissimus, imbellis & enervatus
proclamatur. Nec ipsas virtutes vitis
inquinare reformidat calumniator: considerata
contentio ipsi est timiditas: modestus, nec acer,
nec pugnax, & providus, pro ignavo habetur: se-
curitati civium consulens, amicorum dissolutor
ipsi vocatur. Nec ipsis artibus honestissimis par-
cit haec belua. Medicum insimulat veneficij;
Astronomum magia accusat: Oratorem in-
cantationis reum facit: Quid multis? si pau-
per es, vilem te vocat: si dives, cupidum & a-
varum: si affabilis, dissolutum: Quemadmo-
dum imbellis & enervus, si contendat cum alijs
cursu praestantioribus, viribus desperatis in frau-
dem agitur: ita Calumniator cum virtutis stu-
diosis non iusta acie congregitur, sed astu insi-
dijsq; hoc est, dicta & facta eorum depravando,
eos tentat: id quod Apelles excellens ille pictor
immagine calumnia significanter notavit. Pin-
xit enim Midam grandibus & patulis auribus
praeditum, quem duae mulieres ignorantia & su-
spicio

Spicio circumstent: accedat bella admodum mulier, Calumnia videlicet, qua alterâ manu facem ardentem teneat, alterâ juvenem in cœlum suspicientem & Deos sua innocentia testes invocantem, capillis trahat. Hanc anteit livor, & comitantur insidia & fraus. Pulchra profectò imago, qua fraudulentiam, ex qua Calumniator totus compositus est, ad vivum nobis proponit. Nec res exemplis caret. Quam astuti sunt Pharisei in Christo calumniando? edit & bibit; audit lurco: miracula die sancto patrat; audit violator Sabbati: profiteatur sibi Patrem esse Deum; audit blasphemus. Quid de Iosepho, castissimo illo adolescente, dicam? quàm blandus & mollibus verbis uxor eum ad turpitudinem invitavit? quàm subdolè cum ipso agit? ut ipsum planè ex insidijs adoritur? Quare ita nobis persuadeamus, si Christo non nudo homini, sed Deo homini, creatori Cœli & terra, maledicorum lingua non pepercit; neminem esse omnium hominum, qui se ab ea tutum fore sperare possit. Quid? quod obtrektor absentes suis mendacijs deformat? non curans illud vetus dictum: De absentibus nil nisi bonum. Bonasus
ani-

104

animal, quoniam cornibus inutiliter implexis non potest ledere, fugiens finem reddit, cuius contactus insequentem, ut ignis aliquis, comburit. Pari modo Calumniator, quoniam coram non audeat congregari, sparsis à tergo probris contaminat hominem. Itaque Aegyptij Sacerdotes significaturi hominem à Calumniatoribus malè acceptum, & mortiferis delationibus afflictum, basiliscum apponebant. Non enim alia ratione Calumniatores conficiunt homines, quàm facit basiliscus. Clam siquidem illi aliorum auribus insusurrant nullo palàm morfu infixio, quò diluendi praecripiatur ansa. Cumq; hæc sint turpissima, tum illud longè est turpius; quod nihil Calumniatore iniustius reperias. quid enim est iusticia, Auditores? qua sunt ejus partes? quodnam ejus munus? nonne hoc? ut neminem ledat. iusticia enim neminem unquam omnium mortalium læsit. Ast Calumniator totà mente & omnibus viribus in id solum incumbit, & nullum non movet lapidem, ut miseros & incautos homines veneficà suà linguâ ledat: quod multis rationibus & exemplis probare

B

possem,

possem, quorum unum atq; alterum brevisime
commemorabo. Nonne P. Virgilius Ma-
ro, divinum illud & immortalitate dignum
ingenium, obtrektoribus adeo patuit, ut
nullum ejus opus extiterit, quod non Hip-
ponactes, quod ajunt, praconio fuerit addi-
ctum? Nonne habuit Homerus, non tan-
tum Poëtarum, sed etjam doctrinarum o-
mnium Princeps, quem multi populi post
mortem ejus, ut Cicero in Oratione pro Ar-
chia Poëta habet, expetiverunt: nonne,
inquam, hic Homerus Zoilum suum habuit?
Ex quo apparet, nihil esse tam eximium, quod
non incessere atq; violare maledicendi libido
audeat. Sed quo frequentius est hoc malum;
tanto majori nos zelo oportet illud detesta-
ri. Adumbravi vobis, Auditores, Calu-
mniatorem. sed ut non tam animo, quam o-
culis propemodum ipsis contemplari possitis hoc
monstrum, utq; ejus turpitudinis sordes omnes
perspiciatis, agite, videamus quo impulsore
homines calumnientur, aut ad quem finem ja-
ctet sese effranata illa impudentia. Causæ,
ergo, unde est obtrektatio, sunt Diabolus,

mens.

mens & voluntas hominis corrupta. Et quidem à Diabolo esse Calumniam, testatur Christus Redemptor & Salvator noster, cum Joh: 8. cap. ad Phariseos illos Calumniatores dicit: Vos ex Patre Diabolo estis & desyderia Patris vestri vultis facere: ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, quia non est veritas in eo; cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax est, & Pater ejus. Haecenus Salvator noster. Quod ipsum quàm verum sit: Protoplasta nostri cum nostra omnium jactura, prob dolor, docent & demonstrant. hic ergo Diabolus est Pater ille Calumnie. Intellexisse id videntur Poetae, cum Momum, nocte & somno genitum, faciunt Patrem Calumniarum. At verus ille Momus est ipse Diabolus. Alter Calumnia Parens est mens & voluntas hominis. Illa enim multipliciter corrupta, nunc ignorantia veritatis, nunc multitudine errantium, modò consuetudine, modò proprijs imaginibus, quas Aristoteles phantasias vocat, hanc tam pulchram sobolem concepit: quam postea edit

voluntas, eaq³ depravata, vel spe commodi,
vel iracundia, vel invidia, vel Invidia, vel Invidia,
vel alijs morbis ac pestibus. Proh Deum im-
mortalem, quis hos tam fædos parentes, tam
tetros genitores, non abominetur? Et quis
Calumniatorem non detestetur? quis verò
eum fætum, cujus edendi finis est horrendus,
non execretur? Obtreçtator enim omni ani-
mi impetu in id incumbit, ut aliorum vel fa-
ma, vel fortunis, vel etjam vita periculum
creet. Quid Dominum JESUM in crucem
egit? Calumnia, affingens ei nescio quam se-
ditionem. Quid Josephum in carcerem com-
pegit? Calumnia. Quid Apostolos tam va-
rys periculis objecit? Calumnia. Calumnia
Palamedem oppressit. Calumnia Socratem
sicutam bibere coegit. Calumnia Aristidem
in exilium exegit. Quid multis? semper omni-
bus seculis Calumnia oppressi sunt viri boni:
Et futuris quoq³ temporibus ab eadem, ut opi-
nor, opprimuntur. Cùm ergo Calumniator
sit tam fædus, tam teter, tam horrendus: cùm
sit mendax, fraudulentus, malitiosus, inju-
stus: agite, Auditores, demus operam, ut ca-
ne pe-

ne peius & angue Calumniatores detestemur:
quod & inhonestum sit, & exitiosum & dete-
standum, cum libidine Calumniandi rem ha-
bere. Tu verò aterne & immortalis Deus
Pater Redemptoris nostri Iesu Christi, tu
miserere nostri: te oro, rogo & obsecro, ut nos
miseros homines in hac delira mundi senectâ
ab hac peste custodias; & Ecclesiam tuam,
& pios sedentes in specu Leonum & luden-
tes cum draconibus & basiliscis, clementer
protegas, per eundem filium tuum dile-
ctum Dominum nostrum.

D I X I.





HUMANISSIMUM ET DOCTISSIMUM
VIRUM-JUVENEM,

DN. IOHANNEM
RHULENIUM,

Calumniam describentem Alloquun-
tur Amici.



Ex quibus ora linit: de plastro verba lo-
quuntur

Tuberibus tumidi crimina dira Dijs:

Non sic Archilochum pingens praesente colore

Somma facis tragicum, sed rata rhetoricè


JANE refers, potius nigro carbone notandos

Famosos suades: Noscere monstra bonum est:

Sic & adis Templum virtutum concitus aestro,

Tendentem moveat prona Minerva manum.

JOHANNES RUMBELDT
Medicinae Cand.



Aliud.

Est genus hoc hominum convicia fundere clamans

Noster amor, justos rodere dente modos.

Nempe quibus genus in natura negavit albumum.

Nominis excelsi, causa recurrit eò,

Vt reli-

Ut reliquos culpent, cum nil praeſtare poterint;


Ex dictis ſpeciem collige Mome tuam.

RHVLENI pertende modo qua capta cap: ſcis

Uirtutum numerum connumerare iuret.

JOHANNES OLTHOFF R.

Phil. Studioſus.



Aliud.

IOANNES RVLENIUS

ἀναγκαῖον.

IN ONERE LAUS: NISU.

LAUS ONERE IN magno eſt, nihil ambige Ia-
ne, ſed inſta,

Et quã cœpiſti pergere, perge viã.


Omnia fert tempus, vincuntur & omnia NISU;

Nam bona dat nullis abſque labore DEUS.

CONRADVS BRANDIVS R.

Philof. Studioſus.





mens & voluntas hominis cor-
dem à Diabolo esse Calumniam
sus Redemptor & Salvator
han: 8. cap. ad Phariseos illo-
res dicit: Vos ex Patre Diab-
syderia Patris vestri vultis fa-
cida erat ab initio, & in ve-
tit, quia non est veritas in-
tur mendacium, ex proprijs
mendax est, & Pater eius.
vator noster. Quod ipsum quod
Protoplasta nostri cum nostra
ra, pro dolor, docent & de-
ergo Diabolus est Pater ille
tellexisse id videntur Poeta, c
nocte & somno genitum, &
Calumniarum. At verus
ipse Diabolus. Alter Calum-
mens & voluntas hominis.
tipliciter corrupta, nunc igni-
tis, nunc multitudine erran-
suetudine, modò proprijs ima-
ristoteles phantasias vocat
chram sobolem concipit: e
B 2

